

quemadmodum solitus est homo asellum virga minare ad molendinum. Itaque actum est ex eo. Vere enim et pro certo vobis intimamus, ut quantum ircus supra quam¹⁾ arietes valet, tantum ipse supra monachos. Ideo concordia nunquam inter nos erit vel fieri posset: aut ipse a nobis separabitur, aut nos ab illo separari oportet, quia dum ita res nostra se invicem adversatur, nostrum deo servitium nequaquam placere potest. Hoc tantum pro dei amore et sanctę Marię omnibusque sanctis, et pro salute animę vestrę et patris et matris carissimorum supplices rogamus, quod si emendare minime valetis, diutius nos suspensos in hac causa²⁾ amplius nolite fatigare, sed licentiam nobis exeundi date, quia jam amplius nequimus pati. Domini est terra et plenitudo ejus³⁾, et ubique uni deo militatur. Ecce enim ad nos pervenit⁴⁾ cum suis fauctoribus, ab eis premonitus, in magno damno loci: unde fratres vivere et tranquillare per aliquod temporis spacium⁵⁾ potuissent, secum in suo dispendio iudicavit esse. Justum esset, si vobis placeret hoc, ut antequam ad vos veniret, vestra prudentia ei mandaret, ut ad claustrum per obedientiam rediret, ibique vobis⁶⁾ ad interrogandum occurreret. Ut sciatis in veritate: quicquid a nobis reprehenditur vel minetur ei ex vestra parte, flocci pendet. Dicit enim: 'Quid de episcopo vestro me minamini? Ego vester episcopus sum. Ego sum vester erro'. Quid ultra? Sapiens fixus ut sol, ipse insipiens, mutabilis ut luna. Firmetur manus tua, et exaltetur dextera tua⁷⁾. Dum veneritis ad locum domino deducente, fratres interrogabitis necnon et laicos, secundum quod vestrum est interrogare. Experietis hujus rei certitudinem⁸⁾. Adhuc omnia vademonia ita stant, ut vobis diximus. Perlecta autem, vestri gratia igni tradite.

1) 'q' Hs. Es fehlt der Abkürzung ein Querstrich. 2) 'decausa' Hs.
 3) Ps. XXIII, 1. 4) 'prevenit' Hs. 5) 'spacii' Hs. 6) viell. 'nobis'.
 Häufig sind n und u nicht mit Sicherheit zu unterscheiden. 7) Ps.
 LXXXVIII, 14. 8) 'reis certitudinem' Hs. Im Original stand vielleicht
 'scertitudinem'.